



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **B. Alberti Doctoris Magni ex Ordine Prædicatorum Episcopi Ratisponensis De Adhærendo Deo Libellvs**

**Johannes <de Castello>  
Albertus <Magnus>**

**Antverpiae, 1621**

Cap. XXIV. Quòd beata Virgo creditur Alberto apparuisse, cùm Librum de  
Laudibus gloriosæ Virginis scriberet.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44148**

## CAPVT XXIV.

*Quòd beata Virgo creditur Alberto apparuisse, cùm Librum de Laudibus gloriosæ Virginis scriberet.*

**N**EC silentio pertranseundum puto illud, quod fertur de eodem Alberto, & credibile multùm, si causa inspicitur, omnibus videtur, videlicet reuelationem sibi apertam à Dei Genitrice factam esse cùm de Laudibus eiusdem Librum conscriberet. Nec hoc mirum, cùm tam inaudito modo Virginis laudem dilatare in ipso Libro contendit: non enim tantùm virtutes animi eiusdem Virginis multipliciter distinguit & enumerat, verùm & corporis eius singula membra cuius fuerint dispositionis in figura & colore, disputando quid probabilius sit tenendum in huiusmodi, vt de corpore etiam laudem habeat, fatagit inuenire; & si inuenire non possit quod desiderat, saltem argumenta pro & contra inspiciens, iam hoc iam illud opinari queat, ne vel imaginatio præsentia Virginis careat.

careat. Inde, cuius complexionis fuerit, conatur disputando inuenire, oculive cuius coloris, & nasus cuius figuræ extiterit: similiter & de crinibus, & ceteris quæ corporis sunt, indagare studuit. Nec de Nuntio ad Virginem misso tacuit, cuiusmodi coloris habere poterat vestes, & de cubiculo Virginis vel Oratorio disputat, quod etiam sanctius templo Iudaico affirmat. Sed & quo tempore, an manè vel vespere, meridie vel nocte Nuntius venerit, ratiocinando inquirat. In quo actu tunc Virgo, an contemplationis vel actionis fuerit, scire laborat. Quare autem in ciuitate apertissimè facta sit Annuntiatio, & qualiter beata Virgo ciuitas est dicta, egregiè determinat. Ultimò verò & de scientiis gloriosæ Virginis disputans, non tantum hanc habuisse diuinas scientias liberalesque Artes, sed & mechanicas, diffinit. Vnde istis & aliis multis pulcherrimis in eodem Libro consideratis à nobis, stupore tenemur, dicimusque: Putasne gloriosa Virgo, quæ sui memorum nequaquam immemor est, poterat visionis suæ speciem à tanto suo amatore abscondere, & non potius dulcissi-

198 B. ALBERTI MAGNI  
ma apparitione ipsum inuisere? Tam  
magnifica enim ipsius Doctoris de Vir-  
gine benedictissima scripta existunt, vt  
hæc sola ipsum beatissimum declarent:  
sicut nuper contigit, dum quidam Sa-  
cerdos deuotus hunc Librum de Lau-  
dibus beatæ Virginis perlegeret, igno-  
rans tamen ipsum editum ab Alberto,  
ecce sola lectione de qualitate Aucto-  
ris edoctus est. vnde prorupit in hanc  
vocem: Verè, inquit, non aliud sentiri  
potest, quin Auctor istius Libri regni  
cælestis sit ciuis.

#### CAPVT XXV.

*Quòd beatus Paulus in visione appa-  
ruit Alberto, atque ipsum anima-  
uit ad continuandum Librum de  
Ecclesiastica hierarchia.*

**C**VM igitur sic totus Virginis insiste-  
ret laudibus, & Dei seruitio se  
mancipasset, quotidie tamen in anterio-  
ra se extendens, ad cælestia cognoscen-  
da pariter & amanda animum modis  
quibus poterat dedit. Scripturæ igitur  
sacræ qua intellectus illuminatur, affe-  
ctusque